

J. T. J.
EX POLITICIS
De
LEGIBUS,

SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI
DOMINI
M. MICHAELIS WALTHERI


Facultatis Philosophicæ Adjuncti
dignissimi,

*Dn. Præceptoris atq; Fautoris etatem
colendi*

Publicè disputabit,
SAMUEL FRIDERICH THILO,
Gothâ-Tyrigeta,

AUTOR-RESPONDENS.

*In Auditorio Majori, ad diem 23. Januarii,
Horis Antemerid.*



WITTEBERGÆ,
Literis MATTHÆI HENCKELII.
ANNO M. DC. LXIV.

ss. jur. civ.

50 024/12

136 65-7 Gu. 1709 Schu

LEGGIBILI

LIBRARI

LIBRARI



Fova Triune juva !



*C*ivitatis animam ac Spiritum esse leges cum Demosthene plurimi Politicorum non immerito adserunt. Ut enim corpora nostra sine mente; sic civitas sine lege, suis partibus, ut nervis ac sanguine & membris uti non potest. Cic. pro Cluent. Imò ut anima destructa vel separata in minima abit corporis moles; sic lege sublata nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus consistere potest, sed rerum natura omnis perverteretur, totusq; mundus collabasceret. Sicut vero contra anima totum Corpus vivificat & conservat; ita ex legibus vita Reipubl. consurgit. Piccolom. grad. 10. cap. 23. Legum vigore premia virtuti constituuntur, animiq; generosi ad rectè agendum quasi invitantur: Legum metu audacia coercetur, tutaq; est inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, formidato supplicio, refrenatur nocendi facultas. Isidor. l. 5. Etym. c. 20. Itaq; non scitè minus, quàm prudenter inter optima dona à veteribus relatæ sunt, Quintiliano Autore lib. 5. c. 11. Et versiculo teste:

Leges, libertas & pax sunt optima dona.

Quemadmodum autem in legibus earundemq; executione norma & forma administranda Reipubl. consistit, Libenth. Colleg. Polit. disp. 12. Procem; Ita unà cum civitatum primordiis primordia ceperunt sua §. 11. Inst. d. R. D. & A. ear. Dom. Nec ulla unquam extitit, aut extare potest Resp. quæ non suas habuerit aut habeat leges test. B. Meisnero Dissert. de legib. lib. IV. Sect. I. quæst. II. Thes. 1. & Exc. Dn. D. Wendelero in sua Phil. Praët. lib. III. Sect. 2. cap. XV. th. 1. Et quid quæso Sparte laudabile gestum fuit, antequam Lycurgus leges ferret? quam eleganter Solon Reipubl. Atheniensium, leges ferendo, instituit? Romulus suis civibus statim in imperii sui initio leges præscripsit. Imò Deus ipse populo Judaico certas

dedit leges, juxta quas Eum colerent & vitam suam agerent. Ro-
fin. Antiquit. Roman. l. 8. que quum ita sint magnam legum neces-
sitate majorem dignitatem maximamq; utilitatem nemo facile
in dubium vocaverit, nisi in ipsa luce meridiana cecutire videri ve-
lit. Me certè res permovit, ut pro ingenii tenuitate de hac amplissi-
ma materia nonnihil verborum facere in animum induxerim. Et li-
cet imparem me huic negotio libens profitear: cum tamen vel volan-
tas laudanda sit, ut vires desint; plane futurum spero, ut, si qua in
parte erraverim, etas mea à quolibet bono veniam impetret. Brevi-
ter autem totum propositum pertractabo, consideraturus juxta me-
thodi rationem I. Definitionem legis nominalem. II. Realem. III. Di-
visionem & ultimo loco illius Adjuncta. Tu verò Jova Triumpe ja-
va, ut cuncta ad tuam vergant gloriam nostramq; salutem!

THESIS I.

Quod itaque attinet. 1. *ὀνοματώδην* Definitionem, circa il-
lam tam etymologia, quàm homonymia & Synonymia inspeci-
enda nobis est. Primò ratione *ἐτύμω* legem Scholastici dictam
putant à ligando: propterea. *α.* quòd lex liget sive obliget ho-
mines ad bona præstanda & mala fugienda. *β.* quòd Magistra-
tus illis sibi subditos obstringant. *γ.* quòd omnes Societates le-
gibus contineantur (hinc quidam per funes & vincula Hof. II.
vers. 4. Psal. 2. vers. 3. leges intelligunt) sed cum hæc etymologia
similitudine destituatur literarum, (sic enim potius *lix* quàm *lex*
esset appellanda) jure rejicitur. Gerhard. Tom. III. locor. de legib.
Meisn. diff. d. legib. lib. 1. in. q. 1.

2. Deinde Isidorus l. 2. *Etym. c. 10. & 5. c. 3.* à legendo legem
dictam vult, quoniam leges publicè legi consueverunt, scriptæ
que proferuntur, ut ab omnibus legantur. Verùm cum sit ac-
cidentalium quid legi, ut lex legatur (sic enim iis lex non dare-
tur, qui legere nescirent) hanc derivationem erroneam dicit
Coras. intit. ff. d. 11. §. 3. & VVolf. *Musculus in locis commun. loc.*
d. leg. Meo quidem judicio, inquit, non minus incommodè dicitur
lex ab eodem, quòd publicè legatur, quam si regem ex eo dici putes,
quòd publicè regatur, apud Meisn. l. d.

3. Cor-

3. *Corvinus* in fonte latinitatis legem quoq; deducit à legendo, sed in alio significato, quòd idem sit ac colligendo, quòd quasi colligēdo multorum vota certi quid concludat. Atqui hoc modo eæ leges, quas ferret Monarcha suis subditis, non essent leges. Cum tamen, quod ipsi placet, legis habeat vigorem §. 6. *Instit. d. J. N. G. & C.* animo scilicet legem condendi. Nec ulli aliæ præcipuum hoc suæ Majestatis jus permittit.

4. *Cicero* demum etiam legem à legendo h. e. deligendo *lib. 1. d. leg. &* cum eo multi alii derivant, eo quòd ex multis, quæ fieri possunt, certum, quod fieri debeat, deligat. *Græci*, inquit, *legem à tribuendo appellant, ego tamen à deligendo eam nomino.* Consentit *Coras. d. l. Piccol. gr. 10. c. 23.* Hanc quoq; etymologiam sibi perplacere ait *Sotus l. 1. d. j. & j. q. 1. art. 1. conclus. 1. & Hornejus optimam vocat lib. 4. c. 3. num. 9. Philos. Moral.* Quin & *B. Meisnero* talis videtur, cum quia literarum cognationem habet, tum quia naturam rei pulchrè exprimit. Quamvis juxta ipsum adhuc sub judice lis sit, an vox legis referenda sit inter derivata, unde nullam, quam enumeravit, etymologiam rigorosè damnat. In quo nos acquiescimus.

5. Progredimur 2. ad homonymiam, quæ sanè est multiplex. Duodecim enim significationes legis in Scriptura dari *B. Meisn.* Autor est, quas enumerat & illustrat *l. c.* Nos easdem, cum sint Theologicæ recensere super sedemus.

6. Præter illas verò sumitur ad huc multifariam. Lex enim *M. Thomasio Præceptoris meo etatem colendo, in Vicina Lipsiensium Prof. Publ. CL mo* idem est ac ipsum jus, ac sic involvit tam naturalem, quam civilem legem *Philos. Pract. tab. 25* Dicit quoq; jam laudatus Autor, legis vocabulū & consilia in se continere *d. l. tab. 51.* Huc pertinere videtur sententia *Platonis*, qui hoc quoq; legis putavit esse, aliquid persuadere nec omnia vi ac minis cogere, *Cic. 2 d. ll.* Porro denotat legem tantum naturalem & h. m. *Ciceroni* describitur, quòd lex sit ratio summa insita à natura *lib. 1. & 2. d. ll.*

7. Præterea accipitur pro sola lege civili, notatq; in genere jussum à summa Majestate promulgatum, quo vel imperatur, vel prohibetur aliquid in vita, sive justè id fiat sive injustè. Et

in hoc significato omnes leges, quæ apud gentes permiserunt furta, adulteria, vivorum Sepulturam &c. fuerunt leges. Alia tamen significatio est strictior, quæ lex est regula recta, quæq; præscribit ea, quæ justa & bona sunt. Tandem strictissime denotat speciem aliquam legis civilis, quatenus nimirum contradistinguatur plebiscito, Sæto, Edicto Prætoris &c. ut ex toto tit. *Inst. d. I. N. G. & C.* liquet.

8. Nos misis aliis significationibus illam tantum amplectimur, quæ lex civiliter sumitur & quidem generaliter, pro omni constitutione ab hominibus observanda. *Meisn. lib. 4. q. 1. l. c.* Cum autem aliter tractet leges civiles Juris Consultus, quippe qui interpretatur tantum leges conditas, nec an rectè & utiliter latae sint, disputat aut rationes constituendarum inquirit; aliter Politicus, ipsius enim de condendis legibus & cuiq; formæ Rerumpubl. aptandis disputare est, uti loquitur *Hornej. Phil. Moral. l. 4. c. 1.* nos quoque intra limites Politici subsistemus.

9. Quod 3. deniq; attinet Synonymiam, de ea, quatenus in Sacris occurrit, eleganter disserit sæpe citatus. *Meisn. d. l. lib. 1. q. 1.* quæ non hujus est loci. Aliis quoq; Autoribus multis lex insinuatur nominibus, de quibus præcipua sancitum, decretum, mandatum, præceptum, rescriptum, statutum &c. *Thomas. legis Synonymum facit jus d. l. tab. 25.* Græcis dicitur νόμος ἢ δῖον τῆς πόλεως. Sed hæc de definitione nominali sufficiant.

10. Definitionem realem, quod spectat, talis strictè sic dicta non datur. Cum enim lex in certo prædicamento non sit posita (nam non est terminus simplex sed integra propositio v. g. suum cuiq; tribuendum) quod tamen in omni perfectæ definitionis definito requiritur; ideo per genus accuratum defini non potest & ob id perfectæ quoq; definitione destituimur. Adsumpto igitur exoterico quodam genere, bonam ac convenientem descriptionem quæramus.

11. Ubi non admittimus. 1. eos, qui legem per communem civitatis consensum definiunt. Non enim semper communis

nis

nis requiritur consensus, quod exemplo Monarchiæ & Aristocra-
tiæ patescit. Deinde licet in Democratia communis requiratur
civitatis consensus, non tamen potest loco generis poni, est e-
nim potius causa efficiens. Nec 2. per ordinem definiri potest,
quod facit *Piccol. grad. 10. c. 23.* Cum lex quidem ordinet actiones
& mensura sit actionum, non tamen ipse ordo. *Meisn. d. l. li. 1. q. 2.*
Locum quoque 3. non invenit definitio *D. Thom. qu. 90. art. 4.* qui
dicit, quod lex sit nihil aliud, quam quædam rationis ordinatio
ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet,
promulgata. Patet enim hæc definitio latior suo definito, a-
deo, ut non tantum leges, sed & consilia contineat, quæ & ipsa
sunt ordinationes quædam nec tamen propriè leges, cum vi ob-
ligandi destituantur. *Hornej. Philos. Moral. lib. 4. c. 3.*

12. Plures non adducimus, quæ partim latiores, partim
angustiores ipso definito. Nos medium amplectentes describi-
mus hunc in modum: lex est regula agendorum à Majestate sub-
ditis cum obligatione præscripta, ad promovendam Reipubl.
utilitatem.

13. Hæc descriptio constat genere & differentia. Generis
loco ponitur regula, qua genus magis proprium vel accommo-
datum aliud vix dabitur. Ubi notandum (a) quod per hoc ge-
nus à legum appellatione excludantur consilia, privilegia, & a-
lia hujusmodi, honesta quidem sed ita non obligantia, ut contra
agere peccare sit, aut agere non rectè. Regula enim est ~~sed~~ secun-
dum quod aliquid rectum est, aut non est.

14. (b) Quod leges non sint actionum singularium præ-
scripta v. gr. quando Noah jubetur extruere arcam, Abraham
mactare filium &c. Regulæ enim est esse plurium, sive ad plura
applicari. Hinc docet Philosophus legem id, quod ut plurimum
fit, adsumere. *5. Eth. c. 14.* (c) vim ac nomen illis perire legibus,
quas iudex mentita æquitatis specie in omnes partes potest fle-
ctere & reflectere. Regula enim rigida est, nec Lesbia illa plum-
bea, flexilis proprium regulæ nomen meretur. *Bod. d. Republ.*
n. 751. & ex ipso *CLmus Conring. disp. d. leg. th. 4.*

15. Differentiam exhibent quatuor 'causæ. I. Efficiens. II. Materia. III. Forma. IV. Finis. Causa efficiens est vel remota vel propinqua. Remota est ipse DEUS, ut omnis boni Autor. Sane agnoverunt hoc saniores Ethnici & veteres Legumlatores, qui earum inventiones divini esse muneris arbitrati in diversorum Numinum vim referre adorti sunt, uti loquitur Rhodiginus *XVIII. Antiq. Lect. 19.* Quod rectè ab illis factum censet *Piccolom. d. 1.* ob quatuor causas; & quidem 1. ob rectitudinem in legibus, quæ solum ex divina mente promanat. 2. ob auctoritatem & obedientiam nam citius obtemperat populus si audiat leges à Deo promanasse. 3. ob sapientiam & libertatem, à qua omnia quæ prodeunt, divinitus provenire dicuntur. 4. Ob legum conditiones, quas Deorum nominibus velut in mysterio & sub fabularum involucro exprimere voluerunt veteres.

16. Causa efficiens propinqua est summa potestas sive Majestas quæ in regno est penes Regem, in Aristocratia penes optimates, in Democratia penes populû. In Republica mixta legum de omnibus rebus ferendarum potestas nulli parti soli committi potest, quod cum illa omnium rerum imperiû conjungatur. *Dn. D. Wendel. in Philos. Pract. lib. II. sect. 2. c. XV. §. 3.* Potestas enim legislativa primum tenet locum inter Regalia (quæ vox vi originis Grammaticæ solis Monarchicis apta formis, ad aliorum tamen statuum jura extenditur. *Thomas. tab. 49. Phil. pract.*) & est certissimus Majestatis Character. Fluit quippe immediatè ex natura Majestatis, & id circo ad essentialia ejus pertinet, non ad ea tantum, quæ principi insignum eminentiæ relinquuntur; ad serente *Magnif. Dn. D. Zieglero, Jcto Celeberrimo & in hac alma Leucorea Ordinario Eminentissimo & c. disp. 3. de Jurib. Majestat.*

17. Cum autem potestas hæc tum jure naturali, tum positivo divino quodammodo sit restricta, ideo ut innotescat, quousq; se extendat, ex modo commendati *Dn. D. Ziegleri disp. 3.* paucas adducemus Regulas, in quibus latitudinem potestatis legislativiæ satis eruditè explicatam invenimus. Est itaq; prima; Naturæ absolutè jussa vetare & vetita jubere Majestas nequit. Sunt enim jura ejusmodi naturalia semper firma atque immutabi-

tabi-

tabilia §. 11. *Inst. d. J. N.G. & C.* hinc quicquid in se & per se jure naturali moraliter malum est, non potest per Magistratum leges & judicia honestari & fieri moraliter bonum. Sicut è contrario, quæ recta ratio, sempiterna & perpetuo sibi constans, præscribit, semper atq; ex se justa sunt; nec à Deo ipso in se & absolute bona mutari possunt. *Add. Conring. disp. d. legib. th. 23.*

18. Secunda regula; Naturæ jussa jubere ejusdemq; vetita vetare Majestas potest. Hoc tamen in casu nova aut humana lex censeri non debet. Manet enim eadem, quæ pridem fuit, factâ tantùm ad humanos animos nova adplicatione. Hic tamen porrò observandum. 1. Majestatem leges naturæ generales posse reddere specialiores. Sic lex naturæ præcipit DEUM colere generaliter, ubi Majestas potest definire certum diem, certum modum, certa q; solennia. 2. Majestatem posse sub comminatione pœnæ absolute jussa jubere & vetita vetare. Sic furtum est contra legem naturalem, proximum enim non lædendum & suum cuiq; tribuendum naturalis dicitur ratio; sed pœnam certam non præscribit. Poterit ergo Majestas constituere vel pœnam dupli vel quadrupli vel quoq; ad suspendium eandem exasperare, si nimirum furta nimium crescentia nullo alio modo è Republ. tolli possint.

19. Regula tertia: Indifferentia quæ reliquit natura Majestas aut mandare aut prohibere potest. Natura enim nihil certi determinans humano arbitrio id commississe creditur. Ubi hoc negligere non debemus, quòd quoq; Majestati ea, quæ Natura jussit sub limitatione, in casu sub ista limitatione non comprehenso prohibere liceat. Cum Natura ipsa in eo casu idem prohiberi voluisse & tacite etiam prohibuisse censeatur. Hæc de jure Naturali.

20. Juri Divino positivo enumeratæ regulæ eodem fere modo adplicari possunt. Nec enim licet Majestati humanæ mutare ea, quæ divina jussit vel prohibuit voluntas, nisi si quid sub conditione aut certa restrictione determinatum fuerit. Tum enim juxta casus restrictos Majestati concessum est potestatem νομοθετικὴν adhibere & legem pro re nata sancire. Prolixius hæc omnia habet *D. Ziegl. d. l.*

21. Datur tamen casus, in quo contra legem naturalem & divinam Majestas aliquid potest permittere, non quidem approbando, sed tantum connivendo & non puniendo, si scilicet sine magno malo emendari nequeant. Nec injustas esse has permissiones, constat inde, quoniam, quæ puniri nequeunt ab hominibus sine periculo majoris mali, illa ut puniantur, natura non tantum non exigit, sed & suadet, ut ejusmodi delicta maneat impunita *Dn. D. Ziegler. d. l. D. Conring. disp. de jure.* Ex hactenus dictis potestatis legislatoriae latitudo satis, opinamur, clara est, pergimus ergo ad alia.

22. II. Materia legis est duplex vel in qua, sive subjectum, vel circa quam, sive objectum. Materia in qua sive subjectum sunt soli subditi. Excluditur ergo 1. Princeps ipse, sive is qui Majestatem habet. Lex enim saltem obligat eos quibus data est: Majestati autem non est data; non enim sibi ipsi leges praescribit. 2. Excluduntur alii Reges ac Majestates, neque enim illis. 1. lex praescribi poterit. 2. Etsi observent aliorum latus in suis territoriis, non tamen ut subditi id faciunt, sed ob aliam causam nempe propter rationem vitae humanae convenientem.

23. Diximus principem excludi à legum subjecto, quaeritur ergo num Princeps legibus sit solutus? De legibus divinis & naturalibus nemo principem exemptum dicit. Hoc enim modo non est summa potestas, sed subditus Dei & Naturae, ideoque ejus Majestati & legibus subjectus. Nec de illis proprie hic est sermo, sed de civilibus. Nonnulli adserunt, alii negant, alii distinguunt. Nos ab affirmantium parte stabimus. Omnes enim leges civiles armentur à superiori necesse est; superiorem autem non agnoscit majestas, ergo nec leges agnoscere potest.

24. Deinde leges, quæ summam potestatem debent obligare, vel sunt à superiore, vel à subditis, vel ab aequali vel ab ipsa Majestate. Non à superiore, quia talem non agnoscit; non à subditis, quippe implicat contradictionem, si subditi, qui leges accipere debent, leges in alios sanciant; non ab aequalibus, tales enim non habet summa Majestas; nec ab ipsa Majestate, nemo enim à se habet imperium. *Jacob. Martin. l. 2. pol. c. 19.* Præter-

ca

ea in politicis certo certius est, supra id, quod summum est, superius nihil dari posse; Nihil enim simul potest esse & non esse. Si igitur Majestas est summa, non potest esse non summa. Summa autem non est, si legibus subjicitur.

25. Ex his innotescit, malè nonnullos distinguere inter obligationem & executionem, & hanc principem solutum, illa ligatum adfirmare, quia si deliquerit, non puniatur, dum non existat in Republ. qui ipsum punire possit: Nam qua ratione obligat lex, si transgressorem non sequitur pœna. Obligat enim lex aut ad obedientiam aut ad pœnam. Tertium non datur. Sequitur ergo, quòd ubi non datur pœna, ibi quoq; non detur lex, alii rectius fortassis inter leges quatenus tales & quatenus rationes distinguunt. Summus enim Magistratus tenetur ad leges servandas, non quatenus leges, sed quatenus sunt rationes.

26. Porrò nec distinctionem inter vim legis coactivam & directivam locum habere posse arbitramur: Ut vi legum coactiva, non verò directiva Princeps exemptus dicatur. Nulla enim est vis legis, ubi vis coactiva non est: cum vim directivam lex habeat, non quia lex est, sed quia virtutis præscriptum est & recta nititur ratione. Interim tamen egregia laus est Principis, si legibus suis se conformet, nec subditis quicquam præcipiat, quod sibi ipsi non prius imperavit. Pulcrè Claudianus:

In commune jubes, si quid censesq; tenendum,
Primus jussa subì, tuus observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Autorem parere sibi.

Hinc semper meritò commendantur Divi Severus & Antoninus, qui, licet legibus solutos se esse, tamen legibus vivere, pleno ore profitebantur *§. fin. Inst. quib. Mod. Test. infir.*

27. Exsurgit quoq; alia hinc non infimæ notæ quæstio, an scilicet Princeps obligari possit ab Antecessore suo ad leges ab ipso promulgatas? Et Respond. Successorem non obligari, nisi sua autoritate Antecessoris acta confirmaverit. Successoris enim potentiæ Antecessoris statutum præjudicare nequî; & quæ bene statuta sunt, propter honestatem servanda sunt Successori, non propter vim legis. *D. Wendler d. disp. d. Summa potestate. Add. Arnif. de Juribus Majest. l. 1. c. 7.*

28. Materia circa quam sive objectum sunt agenda sive actiones subditorum & quidem 1. Externæ; potissimum verò illæ, quæ à fidei subdito requiruntur, ideoq; ad bonum publicum & felicitatem totius civitatis respectum habent. 2. Possibiles, nam de impossibili leges præscribere in Politia iniquum est. Oportet leges ponere secundum possibile ait *Plutarchus in Solone*: & Tyrannus est, qui cogit contra naturam. Unde in vulgato versiculo dicitur:

Ultra posse viri, non vult lex ulla requiri.

3. Contingentes, quæ voluntati hominum subjiciuntur. De naturalibus itaq; ac necessariis leges præscribi non debent. Non etiam necesse est, ut de illis, quæ non nisi rarissimè fiunt, leges constituentur. *Wendler. in Phil. Pract. d. l. 4. futuræ; negotiosis enim futuris, non verò præteritis leges formam dare debent. Libenthal colleg. polit. disp. 12. th. 30.*

29. III. Forma legum consistit in obligatione, qua lex differt à consilio; consilium enim vi obligandi destituitur, legi verò inest. Si autem obligationem relativè spectemus, vigorem lex nondum obtinet, nisi accedat promulgatio. Nulla enim lex ullum habet legis vigorem ante promulgationem, sed tunc instituitur, dum promulgatur. *dist. 4. cap. in istis.* Nec ad impossibile ulla est obligatio. *Wendler. d. l.* Hinc rectè sæpe laudatus *D. Zieglerus dis. cit. dicit.* Etsi in consilio Principis aut apud eum, qui τὸ κρείον tenet, conclusum sit, ut lex esset & condita etiam jam habeatur; nondum tamen inde nascitur obligatio, nisi promulgetur & subditis innotescat. (Autores quos adlegavit apud ipsum videre licet) sequentem -

temq; adnectit rationem : Si enim lex debet esse regula & mensura actionum, secundum quam vivi oportet, ubiq; nota sit iis necesse est, quibus praescribitur. Et paulò post; quanquam lex ipsa sui promulgatione vim obligandi habeat; Actu tamen ipso illos tantum sub peccato vel poena obligat, qui ejus notitiam acceperunt, vel accipere suâ culpâ neglexerunt. Haftenus ille.

30. Non autem est de essentia legis primò scriptura. Sine quo enim lex aliqua esse potest, id de legis essentia esse non potest. Sed sine Scriptura lex aliqua potest esse, cum lex non Scripta lex sit sine Scriptura. Scriptane annon Scriptæ leges sint, nihil inter esse videtur, ait *Arist. 10. Eth. cap. ult.* Idq; suo exemplo demonstrarunt Lacedæmonii, cum leges suas in scripturam nunquam redegerunt. Utilius tamen erit legem esse scriptam, ut legulejis Syllabarum aucupium præscindatur. *Prætor. Theatr. Polit. sect. 3. cap. 1. membr. 1. sub tit. d. legib.*

31. Secundò quoq; non est necessaria receptio. Falluntur igitur, qui ad essentiam legis & hoc requirunt, ut moribus utentium comprobetur, ita scilicet: ut, qui legi inhærere velit, receptione probare teneatur. Cum enim lex quævis ab ipsius legislatoris potestate νομοθετικῆν vim obligandi habeat, quam primum ac in publicum per promulgationem ea se se exerit, non est, quòd de observantia solliciti simus, nam hæc semper præsumitur. Et lex tanquam vox divinitus emissa à subditis recipi, non rejici debet, cum per hoc legislatoris Autoritas multum imminueretur, si subditis legem adprobare aut reprobare integrum esset. Nam quis est, qui patienter onera fert, qui æqualitatem in se observatam agnoscit, qui legem onus imponentem non arguit & reprehendit. *Nobiliss. Dn. D. Ziegler d. dissert.*

32. Hic quoq; silentio non prætereundum tempus obligationis, quod pendet totum ex voluntate legislatoris, tum enim lex obligat, quando eam obligaturam in promulgatione dixit. Nullo autem temporis articulo præscriptò Doctores dicunt, legem, si feratur de Magistratu subordinato, à primo promulgationis tempore obligare; sin verò à Magistratu summo, præterlapsis duobus mensibus vi *Novell. 66. Meisn. disp. l. 4. p. 1. q. 9.* Et hæc de obligationis initio: Sequitur ejusdem duratio. Obligas

lex tamdiu, quamdiu Majestas eam vult obligare. Nam si ipsa legi aliàs valituræ Autoritatem suam subtrahat, legemq; aut in totum aboleat, aut in certis casibus valere nolit, tunc obligatio cessat. Deinde quoq; lex obligare desinit, si actio circa quam lex occupabatur, successu temporis in potestate Magistratus amplius non sit, ut juberi cum effectu non possit, prohiberi eam non opus sit *Conring. Disp. de leg. th. 96.*

33. Optimò autem jure hinc quæritur, num leges civiles obligent in conscientia? *Magnif. Dn. D. Ziegler. d. diff.* hanc quæstionem ita format, an transgressio legis humanæ ad pœnam solum in foro exteriori; an verò simul ad culpam in interiori & conscientiæ foro obliget; Et respondet distinguendo leges, quibus actiones morales in se indifferentes prohibentur vel jubentur, à legibus, quibus forma aliqua negociis civilibus præscribitur. Illæ enim, quia bono publico ac hominum moribus exigentibus conditæ sunt, & ipsas actiones morales licitas vel illicitas reddunt, obligant in conscientia, ita ut qui sciens & volens adversus eas delinquit, reatum incurrat. Hæ verò, quia non exigunt propriè obedientiam, sed simpliciter ordinant quid faciendum sit, dicentes & dirigentes potius, quàm præcipientes, culpam & reatum non inducunt, sed actum tantum, si non observatæ fuerint, reddunt nullum, aut aliquam aliam pœnam injungunt. *Nominatus Autor d. l. th. 48.*

34. Denique finis legum est Reipubl. utilitas. Quicquid enim movit Sapientes ad legum promulgationem, hoc finis est, ad quem ordinantur, quippe cujus proprium agentem ad operandum excitare intentionaliter. Movit autem eos nihil aliud, quàm civium justa & honesta conversatio, & quod hinc oritur, bonum publicum. Lex nullo privato commodo, sed pro omni utilitate civium conscripta est, inquit *Isidorus l. 5. Etymol. c. II.* Legum lator pacis publicæ gratiæ debet omnes leges condere, ait *Plato Dial. I. de leg. Et Cic. l. 2. de legib.* rectè scribit: *Constat profectò ad Salutem Civium civitatumq; incolumitatem vitamq; omnium quietam & beatam, conditas esse leges.* Omnis enim pars ad suum totum naturaliter dirigitur; Cives verò sunt civitatis partes; ergo lex illis præscribitur in bonum civitatis commune. *Meisn. d. l. lib. I. quest. 3.*

35. Sed

35. Sed requirit ordo, ut progressum faciamus III. ad legis divisionem, quæ quadruplex 1. est, in legem scriptam & non scriptam. Illa scripto præcipit; hæc verò viva voce, vel alio modo, quomodo unumquodq; sit agendum. Illius exempla sunt Leges XII. tab. hujus consuetudines, quarum tanta vis est, ut legem interpretentur scriptam, sibiq; contrariam tollant. *D. Wendeler. Phil. Pract. lib. II. sect. 2. cap. XV. th. 8.*

36. Postea lex est vel fundamentalis, vel non fundamentalis. Illa Imperandi modum Imperantibus; hæc subditis agenda determinat. Ad illam refertur Aurea Bulla Caroli IV. ad hanc potissimum eæ, quæ in Corpore Juris Civilis habentur. Si autem penitius rem inspiciamus, leges fundamentales legum nomine minus commodè veniunt, pacta enim verius & conventiones adpellantur, cum potestatem νομοθετικὴν transcendant, nec sub ea contineantur. Nam non ideo, quòd à superiore præscriptæ sint, sed propter datam fidem, quam fallere, grave est, adimplentur. Vide *D. Ziegler. d. l.*

37. Tertiò lex est vel Universalis, quæ in universa Re- publ. ceu sunt hodie Recessus imperii; vel particularis, quæ in aliqua saltem ejusdem parte valorem obtinet e. gr. Jus Saxonicum. Legem universalem in hodierno Romano-Germanico imperio condendi potestas est penes Imperatorem Electores & reliquos Imperii status, sine quorum consensu & consilio nulla fertur, hinc formulâ in Recessibus Imperii passim utuntur sequente; *Darauff wir (intellige; Imperatoriam Majestatem) uns mit des heiligen Römisch. Reichs Churfürsten und Ständen und sie sich wieder mit uns als ein Christlich Corpus gegen uns nachfolgender Artickel wegen mit einander vereiniget und vertragen.* *Prætor. Theatr. Polit. p. 2. c. 1. n. 2.*

38. Ultimò lex est vel justa, vel injusta. Justè sive rectè justa; injusta malè sive injustè posita est. Ut enim de Natura Reipubl. non est, ut sit recta vel vitiosa, ita nec de natura legis, ut sit recta vel vitiosa. Et si omnis lex consentiret justitiæ, malè inter civem bonum & virum bonum distinxisset *Arist. 5. Eth. c. 1. Wendler. d. l. c. 15.*

39. IV. Deniq; legis adjuncta paucis attingemus, potissima sunt, 1. ut sint, bonæ: nimirum tam formaliter, quam efficienter. Et

Et

Et quidem formaliter; quoniam sunt justi rectiq; norma, nihil præscribentes nisi quod secundum virtutem est, legem enim oportet esse vitiorum emendatricem virtutumq; commendatricem, dicente *Cicerone l. 1. de legib.* Efficienter autem, quia homines bonos reddere debet, non quidem immediate, virtutem nempe causando, sed causam ejus, hoc est, bonas virtuosasq; actiones præscribendo. Et licet interdum ferantur leges in particularibus quibusdam actibus, ratione quorum aliquis tantum bonus civis, non verò absolute bonus dici meretur, omnes tamen illæ virtuti subordinantur, ut non nisi ex illa proficisci queant. *Meisn. d. l. lib. 1. qv. 5.*

40. 2. sint sanctæ, quippe quæ DEUM habent Autorem & Autoritate publica publico bono sanciantur, proinde à nemine profanari debent. *Meisn. d. l. 3.* sint generales secus enim si fiat ab æquitate recedunt, omnes ergo ipsis obligentur, nisi diversitatem ipsa æquitas ostendat. *Meisn. ibid. Liebenthal c. l.*

Tandem sint paucæ, ne multitudine aut varietate subditos onerent & potius renitentes quàm adnites efficiant. Tantum!

JOVÆ TRIUNO GLORIA.

Ad

Pereximium atq; Politissimum Dn. SAMUELEM FRIDERICUM THILONEM Ph. & LL. Studios. strenuum, Fautorem & Amicum suum dilectum Cathedram Philosophicam feliciter ascendentem.

Naturam LEGIS, dum discutis ore disertò,
Conatus laudo, prospera quæq; precor.

*Ita paucis hisce præproperè fufis
applaudebat.*

M. MELCHIOR CHRISTOPH. LUTTER
Goldingâ Curlandus.

Abdita dum Legum mysteria pandere tentas,
Ostendis vires, THILO polite, Tuas.
Gratulor egregios hos nifus: JESUS JOVA
Ingenii dotes augeat, atq; juvet,

M. NICOLAUS Klop
è Thuringis Schœnstadt

